DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS GYNAECOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS KRIGER
RATIBORIENSIS.

OPPONENTIBUS:
A. ENGELBRECHT, med. et chir. Dr.
J. CAHEN, med. et chir. Dd.
C. SCHWAND, med. et chir. Cand.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

CARISSIMO, DILECTISSIMO

SUMMOPERE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

INTRODUCTIO.

Sunt in medicina permultae species morborum, quibus nomina non recta apposita sunt, cum haec plerumque tantum ad unum symptoma spectent. Talia nomina sunt: febres intermittentes, cyanosis, chlorosis etc. Cum autem nobis adhuc natura et causa plurimorum morborum non penitus cognitae sint, coacti sumus haec nomina retinere, semper quidem certissime unum charicteristicum signum indicantia, usque dum doctrina facultas nobis contigerit haec omnia aliis melioribus, accuratioribus resarciendi. Simili modo describit Sauvages morbum, quem accuratius tractare volumus, ut sequitur: »La chlorose est une maladie dont le principal symptôme est une pâleur repandue sur le visage, accompagnée d'une asthenie générale« (Nosol. method. tom. IX. pag. 499). Eodem modo exstiterunt nomina hujus morbi sequentia: morbus virgineus, febris alba, febris amatoria, icterus albus etc. Per longum temporis spatium opinio fuit, chlorosin esse morbum specialem generis muliebris, virosque ab ea corripi non posse; experientia autem docuit, morbum neque aetati neque sexui parcere, eumque puerum ut virum, puellam ut matronam invadere posse, tantumque

feminas et quidem tempore evolutionis ad eum magis proclives esse. Ita enarrat Dr. Blache casum, quem Professor Fouquier semper in praelectionibus suis commemoravit: scilicet praefectus militum ex diuturnis et gravissimis animi perturbationibus chlorosi affectus est, cui ille brevi tempore per praeparata ferri magna dosi data medebatur. Praeterea chlorosin in infantibus, qui helminthiasi laborant, observaverunt; rarius autem invenitur morbus in adolescentibus; interdum etiam occurrit in mulieribus gravidis.

In scriptis veterum nullam sufficientem descriptionem morbi, sed tantum breves annotationes invenimus. Ita verba Hippocratis non penitus ad chlorosin pertinere videntur. Verba facit de ea conditione mulierum, qua videmus vultum suspensum incertumque esse, oculos lacrymis impletos; cutem pallidam et flavescentem fieri, feminamque fortioribus corporis commotionibus ex respiratione impedita laborare. Praeterea addit haec symptomata vulgo cum fluore albo conjuncta esse. Nec Celsus ullam interpretationem accuratiorem morbi nobis tradidit. Primum saeculo decimo septimo invenimus scripta, in quibus hic morbus nonnulla subtilitate tractatus est. Primus fuit Leblanc (Paris 1616), qui descriptionem peculiarem chloroseos reliquit, eamque cupiditati amandi attribuit. Qua re etiam opusculum ejus inscriptum est: »Ergo Venus amantium ictero.«

Huebner tractavit eandem rem quinquaginta annis post, et protulit eandem morbi causam. Adnumerat praeterea morbum febribus et nominat hanc febrem febrem amatoriam virginum. Cum eo consenserunt Mueller et Burgold, qui eodem tempore vixerunt.

Fridericus Hoffmann conscripsit dissertationem de chloroseos indole et curatione a. 1731.

Corday de pallore virginum etc. Halae 1739.

Sub finem ejusdem saeculi exposuit Carolus Herrmann varias cognitas sententias de chlorosi, magnoque studio enucleavit causas et curam hujusce morbi. Thesis a Chaussier prolata memoratu est digna, quod electricitatem proposuit remedium chloroseos.

Recentioribus temporibus multae descriptiones peculiares hoc de morbo editae sunt:

Hufeland über die Bleichsucht, ein nosographisches Bruchstük. Bd. XX. 1804.

I. P. Gagnion, Vue sur la puberté de la femme et sur la chlorose. Paris 1809.

Rast, diss. de chlorosi. Lipsiae 1825.

F. Benj. Osiander über Entwickelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. Tübingen 1821. Bd. I.

J. E. G. Kummer, diss. chloroseos pathologiam et therapiam sistens. Lipsiae 1823.

Horn, Arten der Chlorose im encyklop. Wörterb. der mediz. Wissenschaft B. VII. Berlin 1831.

Blaud, Mém. sur les maladies chlorotiques 1832.

Joh. Wendt über Menostasie und Chlorose, in Rust's Magazin.

Rösch, die Bleichsucht monographisch dargestellt. Stuttg. 1839.

Praeterea omnes, qui gynaecologiam conscripsere, breves descriptiones hujusce morbi nobis tradiderunt.

Caput I.

DE CAUSIS CHLOROSEOS.

Causae sunt multiplices, et observationes experientiaque multas variasque rationes de hac re refutaverunt. Variarum rationum, quae ad aetiologiam chloroseos pertinent, sequentes accuratius inquirere volumus: utrum suppressio vel diminutio mensium, aut fortasse deprimentes libidines vel amor repudiatus causas ad procreandum morbum praebeant, an anaemia, quae hoc in casu oligaemia sive hydraemia nominari potest, causa sit proxima. Neque expositione novarum inquisitionum ab Andral et Gavarret institutarum de singulari qualitate et quantitate sanguinis supersedere volumus. Denique autem sententiae complurium, qui plus minusve valent et vitiosam nutritionem judicant causam morbi, explicabimus.

Complures insignes auctores, inter quos etiam Pinel, chlorosin non proprium morbum, sed tantum symptoma habuere, equidemque ejusdem opinionis sum. Praeterea vero scriptor de la nosographie philosophique chlorosin esse symptoma singulare suppressionis sive diminutionis mensium contendit. Quae opinio etiam pristinis jam temporibus apud Francogallos fuit usitata. Ita Mercatus affirmat, morbum consistere in mensium suppressione vel irregularitate, quae sive ex nimia sanguinis copia, sive ex depravata ejus qualitate dependeant. Quae morbosa sanguinis natura fuit ei effectus continui usus alimentorum male nutrientium. Permultos scriptores celeberrimos afferre possemus, qui hanc opinionem sustentare studebant, sed praeferimus paucis ver-

bis exponere, quomodo interpretarentur defectum mensium procreare posse chlorosin.

Fluxus mensium est revera naturalis excretio, necessaria ad purgandum sanguinem, et hodie certo nemo credet, hoc fluidum consistere ex puro sanguine; nam ex longo temporis spatio constat, hoc fluidum distincte differre a sanguine per compositionem (nam consistit ex crasso mucoso liquore, qui ipse quidem non coagulatur, sed ut sanguis etiam normalia corpuscula sanguinis et corpuscula lymphatica continet), idemque productum functionis physiologicae esse, simile felli, sudori, urinae. Cum vero haec excretio necessaria sit ad valetudinem mulierum servandam, cum sanitas atque foecunditas earum conjuncta sit cum hac regulari uteri functione, mirumne nobis videri potest, morbos ex suppressione aut perturbatione tam gravis excretionis oriri? Non videmus quotidie suppressionem sudoris, fellis, urinae et fluxus haemorrhoidalis, excretionum, quae omnes fluxui mensium admodum similes sunt, graves morbos afferre, quos tantum restitutione earundem functionum tollere possumus, aut si eas alio apto loco provocamus, eoque modo resarcimus? Quae materia mensium, quod in sanguinem de novo recipitur, jam ex eo secreta, sanguinem corrumpit, et effectus hujus momenti est depravatio totius organismi, quo facto chlorosis procreatur.

Sed haec sententia, chlorosin ex suppressione vel irregularitate mensium originem ducere, quamquam probata videtur, refutanda est, nam casus permulti sunt observati, in quibus menostasis chlorosi jam per longius tempus durante intravit. Ceterum in introductione hujusce opusculi exempla chloroseos in pueris et viris natu majoribus attulimus; nonne est hoc argumentum idoneum, chlorosin etiam ex aliis causis, quam ex

suppressione aut irregularitate mensium exsistere posse? Etiam Dr. Blache jure dicere potuit (1): »Il me semple qu'on doit étudier la chlorose à part et indépendamment de l'aménorrhée qui en est la cause la plus ordinaire, il est vrai, mais qui n'est pas l'unique cause, qui la produit. Car elle existe chez des femmes sans qu'il y ait aménorrhée ou disménorrhée.«

Inter viginti sex casus chloroseos, qui nobis a Blaud et Baucaire enarrati sunt, fuerunt viginti quattuor in puellis ab undecim usque ad triginta duos annos natis, quarum octo fuerint septemdecim annos natae; apud quindecim copiose aut parce fluxerunt menstrua, semper vero serosa et fere penitus decolora fuerunt. Septem harum virginum nondum menstruaverant. In uno vero casu, quo individuum viginti tres annos natum fuit, chlorosis die, qui secutus est conjugium, incepit, per totam graviditatem permansit et cessavit denique pluribus mensibus post partum. Quae dixi satis demonstrant, chlorosin etiam ex multis aliis causis oriri posse.

Altera opinio, quam constituimus causam morbi, est vis, quam libidines in organismum exercent. Jam initio complures auctores commemoravimus, qui contenderunt, morbum ex vi, quam amor in organismum virginis sive mulieris habeat, saepissime dependere. Quae opinio pristinis temporibus ita viguit, ut in vulgus transiret, hocque chlorosin etiam vehementi amandi cupiditati adscriberet. Sed haec aetiologia a plurimis recentioribus scriptoribus non comprobata est, quod suppressionem aut irregularitatem mensium accusant causam morbi nascentis. Omnes tamen in eo consentiunt, in nonnullis casibus effectum libidinosae et non satiatae amandi cupidi-

---

(1) Diction. en 25 vol. art. chlorose.

tatis esse chlorosin, quam cupiditatem causam occasionalem putant. Nos quoque intelligimus neque ignoramus, quantam vim cupiditates et libidines in chylificationem exerceant, et quotidie nobis experientia ante oculos profert multifaria argumenta. Ita omnes libidines cupiditatesque impedientem vim in digestionem, suppurationem et cicatrisationem habere pro certo dicere possumus; saepissime eas febres nervosae sequuntur, quin etiam mortem repentinam adducere possunt. Quis est, qui nesciat finem Sophoclis tragicum, cum honores civium acciperet? Auctore Diogene Chiron Lacedaemonius prae gaudio mortuus est, quod filium amplecti victorem in ludis Olympiis potuit. Cur igitur amor repudiatus, nimius impetus in venerem, onania, irritationes psychicae, lectio librorum deteriorum, vita luxuriosa, eaque praematura genitalium evolutio, longius dormire in culcitis plumeis, abstinentia a coitu consueto, ut in viduitate, morbum efficere non possint?

Denique tertiam causam morbi accuratius inquirere volumus, vitiosam quantitatem et qualitatem sanguinis: quantam vim autem talis sanguis in organismum exerceat, in symptomatibus hujusce morbi exponendis describemus. Accuratas quaestiones de sanguine talium aegrotorum Andral et Gavarret instituerunt, ajuntque (1): »Au lieu d'être plus ou moin élevés au-dessus de la quantité normale les globules peuvent s'être abaissés au-dessous de cette quantité, jusqu' à une certaine limite d'abaissement, il n'en résulte rien de remarquable. . . . Cependant, à une certaine limite inférieure qui, chose bien singulière, ne paraît pas la même

(1) Mémoire sur les modifications du sang dans les maladies Annal. phys. chim. Nov. 1840. 234.

pour tous les individus, on voit apparaître des états morbides particuliers, dont le caractère, relativement au sang, est une diminution constante et considérable des globules, tandis que la fibrine ne s'est pas modifiée dans sa quantité. Comme type de ces états morbides nous citerons la chlorose.« Addunt praeterea: La chlorose peut être considérée comme le type de l'anémie.

Quorum virorum quaestiones eo majore animi attentione dignae sunt, quod ex iis varias suppositas causas morbi aestimare discimus; dicunt enim permanente vitiosa sanguinis commutatione constituta (1): »Les pertes de sang et la diéte agissent principalement sur les globules qu'elles diminuent, et la fibrine change peu à peu en même temps: c'est la une loi, à laquelle nous n'avons pas trouvé d'exceptions. Le même effet a lieu pendant certaines maladies qui s'opposent à la libre et complète séparation du sang, comme le cancer d'estomac, les tubercules pulmonaires, les cachexies, les épuisements.« Qui scriptores etiam discernunt chlorosin perfectam atque imperfectam.

Auctore Foedisch, qui analysin sanguinis chemicam instituit, sanguis constat hisce ex partibus: cruoris 91,41, seri 93,61, fibr. 6,40, aquae 806,28, ferri 3,30. Auctore Lecanu constat ex his partibus: aquae 862,40, corpusculorum sanguinis 55,15, albuminis, fixorum et adiposorum extractorum 82,45. Praeterea secundum Foedisch est sanguis albior, mollior et pigmentum rubrum ejusdem facile delui potest.

Quae accurata sanguinis expositio opinioni nonnullorum medicorum auctoritatem concedit, qui, ut Capuron, contendunt, chlorosin ex diminutione et collapsu

---

(1) Mémoire cité 235, 309.

virium, causis omnibus homines infirmos reddentibus, dependere. Et Capuron dicit (1): »En général cette maladie n'est propre qu'aux personnes du sex qui sont éminemment lymphatiques, ou qui ont long-temps vécu sous l'empire de causes débilitantes, et dont la constitution a été détériorée et réduite à l'état de cachexie par un air humide et mal-sain, par l'habitation dans des lieux bas mal éclairés, par le défaut de vêtements, par la disette ou par l'usage d'aliments peu nutritifs, par des évacuations excessives, par une vie molle, oisive et non exercée, par des affections tristes.«

Ex omnibus, quae attuli, intelligi potest, chlorosin ex multis causis diversis oriri posse, quae autem omnes eundem praebeant effectum: nempe maximam debilitatem atque infirmitatem organismi, quae provocantur anaemia. Talem vim vero habent vehementes, deprimentes libidines et cupiditates, quae digestionem impediunt; item mollis atque effeminata educatio, vita sedentaria, carere aëre puro, miserabilia domicilia humida in hypogeis concameratis. Praeter has causas diversas nihil quidem magis impedit normalem sanguificationem apud virgines quam compressio thoracis corporis nondum exculti per strophium; eodem modo suppressio atque irregularitas mensium, atque collapsus virium ex dysenteria, diarrhoea, praematura corporis evolutione, excessibus in venere.

Male illi autem judicant, qui unam tantum causam morbi habent, uti Lange, cum ex amandi cupiditate ducens, Astruc e sola menstruorum irregularitate et suppressione, Lazerme ex parca et deficiente organismi nutritione.

Morbum ipsum saepius in urbe quam ruri inveni-

---

(1) Trait. mal. femm. 63,

mus, et ita quidem, ut puellulae flavae crebrius quam subfuscae capiantur. Idem morbus nonnisi in regione septentrionali et in cingulo terrae temperato reperitur, adeoque apud Belgas est endemius. Crebrior est in vere et auctumno, quam in aestate et hieme, quibus temporibus etiam recidivus est; praesertim temperie frigida simulque humida procreari videtur.

Caput II.

SYMPTOMATOLOGIA.

Prae ceteris quodque individuum chloroticum sequelas anaemiae (si vis hydraemiae seu oligaemiae) distincte prae se fert, colorem dico faciei pallidum, animum valde depressum, cutem squalidam, luteam vel ex luteo viridem, cerae albae non dissimilem, interdum locis singulis rubescentem. Praesertim genae, labia, lingua, papillae colore albido excellunt. Conjunctiva tunicae scleroticae colorem exhibet unionum conchae similem, qua re chlorosis praecipue differt ab ictero, conjunctiva bulbi enim primum colorem ictericum praebet in ictero. Tristitia, quae intime cum chlorosi cohaeret, aegrotos indole melancholiae, cui saepe aliquid jucundi et amoeni inest, imbuit; aegroti somniantes, pertristes ambulant, se in solitudinem recipiunt atque peculiarem cupiditatem querendi et lacrymandi exhibent.

In systemate vasorum hic morbus significatur reactione infirma, debili; existunt congestiones ad varia organa versus; si in cerebrum vergunt cephalalgiam, vertiginem, soporem, tinnitum et susurrum aurium, scin-

tillas ante oculos efficiunt. Simul autem, quum caput calidum tactu, extremitates frigidae manent. Congestiones pectus versus rarius accedunt, indeque palpitationes cordis efficiuntur; interdum etiam effectus congestionis sunt rhinorrhagiae et pneumonorrhagiae.

Quod ad signa spectat physicalia, cordis symptomata multum delectationis habent. Soni cordis inaequales, eorum typus irregularis, palpitationes saepius et vi et tenore differunt, ita ut mutationem organicam organi circulationis centralis adesse opineris; rhythmus autem pulsationum paulo post iterum normalis, prae ceteris chlorosis sublata, contrarium demonstrat. Bouillaud strepitum singularem nuncupat, qui audiendus est in basi cordis, in arteria subclavia et carotide, bruit de diable; quidem ait (1): »En applicant le stéthoscope au-dessus de la partie interne de la clavicule et sur le trajet des troncs désignés, on l'entend très-distinctement dans toute sa force et tout sa continuité.« Qui strepitus non commatandus cum strepitu folliculari vel serrato, qui etiam eadem in regione audiendus, si aneurysma aortae usque ad collum se extendit. Symptomata haecce peculiari sanguinis modificatione, nobis adhuc ignota, effici videntur; strepitus enim non amplius audiendus in praecordiis, itemque in arteriis peripheriam corporis versus penitus evanescit.

Pulsus plerumque frequens, ictus centum viginti vel quadraginta in parte horae sexagesima in majori morbi gradu habet, sed parvus, debilis, filiformis, facile comprimendus est; interdum autem tardus, mollis et sat plenus.

Affectio systematis capillaris excellit calore animali

---

(1) Rech. bruit coeur, artères, journ. hebd. 1833. XI. 560.

deficiente, temperatura comminuta, quod non solum subjective, sed etiam objective animadverti potest; aegroti semper de frigore queruntur et comminutio temperaturae quadrantem grani usque ad grana quinque secundum Réaumur explet. Ex innervatione manca musculorum infirmitas intrat, quae interdum ita augeri potest, ut in tremorem et immobilitatem artuum transeat. Aegroti motum timent atque celeriter defatigantur saepius jam exigua commotione, simul abhorrent a quoque labore, quietem et inertiam quaerentes.

Ex perversione systematis nervosi molestiae sic dictae hystericae existunt, somnambulismus, extasis, pica. Aegrotis modo taedium afferunt omnia nutrientia, modo illi requirunt cibos acidos, acres, salsos, denique cibos postulant futiles, ut carbonem, cretam aliasque res similes, quae pica ex nimia acidorum copia in ventriculo derivanda videtur. Ciborum appetitus semper est depravatus, gustus mucosus, lingua muco obtecta, chylopoësis suppressa; etiam cibis ad concoquendum facilibus ructus, nausea, vomituritiones, vomitus, flatus, alvi obstipatio prodeunt, raro diarrhoea accidit, per quam tunc cibi adhuc incocti expelluntur. Abdomen tensum et dolorificum est, aegroti queruntur de doloribus in praecordiis subito intrantibus et paroxysmi interdum tam vehementes sunt, ut aegroti lipothymici fiant. Ex jactura chylopoëseos invenimus helminthes et sordes in canali alimentari.

Respiratio est difficilis, aegroti dyspnoeam accusant (si vis apnoeam, quod thoracem sine impedimento dilatare possunt aegroti), praesertim si scalas ascendunt. Functio organorum secretioni praefectorum etiam turbata est, secretiones aut penitus deficiunt, aut indolem serosam, mucosam habent.

Menstruatio semper abnormis est. saepe nulla adhuc adfuere molimina menstrualia, quae tunc etiam durante morbo non apparent; aut menses intravere praematura evolutione systematis sexualis, provocata per libidines animum deprimentes, aegritudinem, amorem repudiatum, nimiam animi contentionem, cibos et potus acres, vel per connubium praematurum; aut menstrua fluunt parca, serosa et mucosa. Sanguis menstrualis est pallidus, serosus, lintea maculis aspergit, quae exsiccatae decolores fiunt. Menstruatio aliis in casibus nimia producit anaemiam, ex qua chlorosis originem ducit. Res commemoratae sententiam comprobant, semper in chlorosi menstrua vel qualitate vel quantitate a statu normali recedere.

Haud raro in chloroticis oedema accidit, praesertim mane palpebrae et facies tumescunt, vespere autem oedema in extremitatibus inferioribus apparet, quod post noctem iterum evanescit. Quae infiltratio oedematosa eo differre dicitur ab hydrope proprio, quod impressionem digitorum non teneat.

Commutari potest chlorosis cum ictero, cum affectione splenis, cum dyscrasia carcinomatosa, aliisque organorum internorum degenerationibus; dein cum morbis organicis cordis, endocarditide, hydrope incipiente, affectione systematis nervosi et chylopoëtici. Ab ictero chlorosis eo differt, quod conjunctiva tunicae scleroticae colorem praebet unionum conchae non dissimilem, in ictero autem conjunctiva colorem primum ictericum offert, nec adsunt palpitationes cordis et strepitus arteriarum, lassitudo artuum, semper denique in ictero impetus in venerem penitus exstinctus, in chlorosi autem interdum suppressus, plerumque vero adauctus est.

Aegroti splenis affectione laborantes colorem viri-

dem, quin nigrescentem exhibent, magna lassitudo artuum iis deest, denique symptomata localia adsunt, quae splenem sedem morbi esse significant; eadem ratione dignoscitur chlorosis a dyscrasia carcinomatosa.

Majori opera palpitationes chloroticae a vitio organico cordis distinguendae sunt, quod etiam, exceptis palpitationibus morbi organici cordis, saepissime vertiginem, susurrum aurium, pallorem cutis, oedema provocant; interdum etiam chloroseos exitus est alteratio cordis organica, ita ut distincte dignoscere non possis, utrum alteratio organica jam adfuerit, nec ne. In universum autem haec symptomata respicienda sunt ad statuendam diagnosin: vitia cordis organica ex dispositione hereditaria saepe originem ducunt, symptomata vitii jam ante colorem cachecticum, interdum jam ab infantili aetate adfuerunt, perpetue durant neque remittunt, et pallor cutis non in tota facie invenitur. Chlorosis autem vulgo primum tempore evolutionis apparet, et palpitationes cordis cum ceteris symptomatibus chloroseos intrant. Repente eaedem apparent, subito autem etiam evanescunt, remittunt interdum et vehementissimae fiunt labore corporis, perturbationibus animi, etiam tempore, quo menses intrare dicuntur, et decrescunt, si morbus in eo est, ut ei medeamur, cum ceteris symptomatibus. In illis nocent medicamina irritantia, hic eadem levant et mitigant palpitationes cordis; ita etiam facies tota est pallida.

Caput III.

SPECIES CHLOROSEOS.

Secundum reactionem organismi morbum dividimus in chlorosin erethisticam et torpidam; nonnulli medici, inter quos etiam Joa. Wendt, chlorosin floridam praeterea constituunt, quo nomine sine dubio chlorosin cum reactione synochali significare velint; haec autem reactio conditione, qua sanguis versatur hoc in morbo, anaemiam dico, sponte excludatur necesse est.

Chlorosin torpidam invenimus in feminis temperamento phlegmatico et constitutione lymphatica excellentibus, iisque symptomata sunt haecce: Color faciei non solum perpetuo pallidus, sed etiam ex luteo viridis, denique fere cadaverosus, oculi subsidentes, splendore privati, marginibus coeruleis cincti, facies tumida. Aegrotae facillime fatigantur, gastricismo, helminthiasi, flatulentia aliisque molestiis laborant; saepius abdomen durum, tympaniticum, semper aegrotorum animus ad irritamenta psychica et physica obduratur, frigore vexantur, cutis sicca, omnesque functiones tarde procedunt. Pulsus sunt tardi, molles, debiles, ante febrem hecticam intrantem non frequentes. Paulo post diarrhoea accidit, et sanguinis demixtione ad majorem gradum adhuc perducta, affectiones scorbuticae apparent et prodromi hydropis universalis. Menses sicuti molimina ad menstruationem fere semper desunt, plerumque autem fluor albus adest. Molimina menstrualia, ubi apparent, prodromi veletudinis ducenda sunt. In hac chloroseos specie molestiae hystericae non in conspectum veniunt.

Virgines chlorosi erethistica laborantes plerumque

celeriter adoleverunt et signa valetudinis prae se ferre videntur. Praesertim in iis magna sensibilitas praevalet, solitudinem quaerunt et nimia proclivitate querendi et flendi excellunt, sicuti facile ad risum et hilaritatem commoveri possunt. Pulsus sunt parvi, contracti, saepe inaequales, quin tremuli, semper autem frequentes. Rubor et calor alternatim cum pallore et frigore intrant. Congestiones singula organa versus apparent, effectum eorum dico cephalalgiam, vertiginem, lipothymiam, soporem, oppressionem pectoris et palpitationes cordis; interdum etiam haemorrhagiae e naso et ex pulmonibus ingruunt. Affectio systematis nervorum hysterismum, spasmos, convulsiones, choream, epilepsiam, quin trismum provocat. Innervatio depravata ventriculi cardialgiam, picam, pyrosin excitat, interdum sitim permagnam et voracitatem; praeterea adsunt persaepe dolores in regione sacrali. Menstrua raro desunt, semper autem sunt decolora. Sicuti species torpida exitum in hydropem quaerit, ita erethistica in febrem lentam.

Caput IV.

DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Cura recte et diligenter instituta interdum jam intra tres vel quattuor hebdomades sanatio procedit (**Blaud** casum talem refert), morbus autem plerumque decursum chronicum per plures menses et annos accipere solet. Sanatio lente succedit, quantitate et qualitate sanguinis ad statum normalem perducta, facies sensim colorem naturalem recuperat, appetitus ciborum redit, frigus,

lassitudo, tristitia evanescunt et pro iis conscientia virium et cupiditas vivendi intrant; pulsus pleniores fiunt, et menses, si jam adfuerunt, ad normam redeunt; prima vice quidem mucus tantum rubre tinctus apparet, tertia autem secretio menstrualis normalis fit. Menses soli sine signis aliis sanguificationis in integrum restitutae non pro signo valetudinis habendi sunt. Mulieres etiamsi revaluerunt, tamen saepe recidunt in pristinum morbum, imprimis tempore vernali et auctumnali, et tempore, quo menses intrare solent.

Morbi secundarii ex chlorosi non penitus sublata sunt: hysteria, melancholia, etiam dementia et nymphomania, quae praesertim ex venere insatiata originem petit. Dein morbi organici cordis et pulmonum, dilatationem dico cordis dextri simplicem, i. e. sine hypertrophia, aneurysma cordis passivum; praeterea pyaemiam et phthisin acutissime lethalem exitum quaerentem. Denique desorganisationes splenis, uti atrophia et induratio, ex quibus saepissime hydrops atonicus evadit; primum anasarca apparet, tum ascites, denique hydrops fit universalis, hydrothorace adhuc superveniente. Morbus per se nunquam, sed tantum per exitum in cachexiam et febrem lentam mortem aegrotis infert.

Caput V.

DE ANATOMIA PATHOLOGICA ET PROGNOSI.

Sectio cadaveris signa anaemiae nobis praebet, paullum sanguinis invenimus, imprimis cor dextrum sanguine vacuum, itemque arterias et venas majoris ambitus.

Musculorum fibrae pallidae, facile lacerandae, molles et corrugatae. Intestina majora, cor, pulmones, renes, colore pallido excellunt et atrophica sunt. Insufficientia quoque valvularum cordis reperta est, praeterea exsudationes serosae in cavitate pleurae, pulmonum, cholelithi in hepate, canalis alimentaris muco albido obtectus. Splen solum fere semper hypertrophicus et hyperaemicus, non raro etiam induratus apparet. Telam cellulosam aut penitus adipe privatam invenimus aut sero, aut liquore albuminoso cum adipe mixto infiltratam.

Prognosis in universum non infausta, quod vitae periculum non magnum et medicamina suppetunt morbi sanandi. Spectanda constitutio aegrotorum, morbi decursus, symptomatum intensitas, utrum causae morbi removeri possint, nec ne; utrum morbus exitum malignum ceperit, nec ne. Aegroti constitutione lymphatica praediti valetudinem difficilius et tardius recuperant, per longius temporis spatium cura est adhibenda; majore autem in periculo versantur aegroti sensibiles. Prognosis infaustior, si morbus jam ad majorem gradum pervenit, atque menses jam antea fluxere. Melior est prognosis in hydrope, quam in splenis induratione, pessima, si morbus in tuberculosin transiit. Mulieres chloroticas fere semper steriles esse, aut debiles infantes partu edere non verum est. Metrorrhagias post partum sicut abortus saepius invenimus. Tamen graviditas saepissime optimum remedium chloroseos est.

Caput VI.

CURA.

Tres habemus indicationes, in quas reflectere animum debemus, quae sunt indicatio causalis, indicatio

reactionis, indicatio morbi. Prima indicatio praescribit, quomodo causae morbum excitantes removeantur vel suspendantur. Eadem accuratissimam cognitionem aegroti conditionum externarum postulat, atque cujusvis momenti remotionem, morbum jam praesentem augentis vel sustinentis. Degeneratio scrofulosa in systemate lymphatico oppugnatur Rheo, Senna, felle tauri, Natro carb., Sapon. medic., Salinis mediis vel neutris, thermis Carolinis aut sale artificiali Carolino. Praesentibus helminthibus haec medicamina conjunguntur cum Anthelminthicis; si adest plethora abdominalis instituendae sunt parcae venaesectiones ad pedes. Etiam pediluvia Tantini jam optimo erant eventu, si quidem chlorosis non habet indolem erethisticam. Maxima vero cum assiduitate medicus vitam sexualem contempletur necesse est. Omnia impetum in venerem incitantia, quo modo cunque fieri potest, sunt removenda, uti cibi vel potus excitantes, vehementes animi impetus, libidines deprimentes, lectio librorum deteriorum, voluptates saltandi, theatra, vita luxuriosa, inertia, dormire in culcitis plumeis. Attamen cum Cel. Canstatt consentire nequeo, qui ait: ubi cupiditas amandi maxima est, quae elucet ex melancholia quadam aegrotae, nonnunquam nullum aliud remedium restat, quam sequi senis illius Coi praescriptum, dicentis: »Equidem virginibus suadeo, quibus tale quid accidit (sc. taedium vitae), ut citissime cum viris conjungantur; si enim conceperint, sanae evadunt.« Sunt forsitan casus, in quibus hoc remedium (si hoc remedium dici potest) optimo sit eventu, imprimis apud virgines jam aetate provectas, constitutione leucophlegmatica; sed semper nocebit feminis chloroticis constitutione erethistica, ubi hoc novum incitamentum accedit ad erethismum nervorum jam praesentem, eundemque semper

adauget. Optima constat cura prophylactica in eruditione et educatione naturali, quae praematuram animi et corporis maturitatem prohibet.

Proxima chloroseos cura est methodus roborans, tonica. Attamen semper est regula prima, ut nunquam cum vehementia quadam curam tonicam instituamus, sed gradatim secundum aegrotorum tolerantiam eam augeamus. Omnino curandum est, ut aegroti vivant in aëre sicco et puro, uti est in maris littoribus, vel in montibus; vel etiam commendanda est vita rustica. Etiamsi aegrotantes accusant nimiam debilitatem, laxitatem et infirmitatem, attamen semper iis suadeas modicam corporis commotionem atque dissolvas animi tristitiam. Corpus aegrotorum saepius lavetur, cutis cultura assidue agatur, qua re etiam saepius lintea mutari et spissa vestimenta indui jubemus, imprimis braccas, ne abdomen refrigeretur. Diaeta constet ex cibis facile concoquendis et bene nutrientibus, uti ex lacte et carnibus teneris. Si vero aegrotantes appetitum futilem habent, exempli causa cretam, carbonem appetunt, talia secundum Francogallorum sententiam iis sunt praebenda, cum experientia docuerit substantias appetitu anomalo postulatas nonnunquam statum meliorem inopinato produxisse. Ill. Schoenlein autem melius esse vult aegrotas cibis abstinere, quam iis ista supra dicta praebere. Ego vero censeo voluntati patientium esse indulgendum, quamdiu nullum detrimentum capiant, cum praevalens acidorum copia in ventriculo ejusmodi rebus absorbentibus egere videatur.

Ut tertiam indicationem explere possimus necesse est, antea aut torpor tollatur aut erethismus nervorum mitigetur et supprimatur, ex quo fit, ut corpus capax reddatur medicaminum tonicorum et meliorem sanguifi-

cationem efficientium. In chlorosi torpida igitur primum torpor canalis alimentaris tollendus est, quod consequimur usu Rhei, Aloës, Hellebor., Colocynth. etc. Tonum intestinorum augemus medicaminibus, quae hoc in morbo celeberrima sunt, uti Artemisia, Salix fragilis, Cort. pom. Aurant., Quassia, Marrubium album, Dictamnus alba, Trifol. fibr., Carduus benedict., Absinthium, Chelidon. majus, Helenium, Costus Indica. Priusquam vero haec medicamina in usum vocamus necesse est, plexus solaris atque organa ab eo dependentia incitentur, ad stagnationes in systemate venae portarum solvendas, nec minus ad sordes in canali alimentari fortasse magna copia accumulatas removendas emetico vel laxante. Hoc loco radix Ipecacuanhae emeticum et radix Rhei purgans in usum vocentur, quae medicamina saepissime optimum habent successum. Inde per longum temporis spatium medicamina amara praescribimus. Quae medicamina interna adjuvamus externe balneis aromaticis, inunctionibus Spir. Angel. comp., Spir. Mast., et Trae oleoso-balsam. Aegrotae etiam linteam speciebus aromaticis impletam abdomine impositam ferre possunt. Qua ratione nonnunquam etiam probandum est dosin Croci, Sabinae, Secalis cornuti, Boracis ordinare, quae emmenagoga ad perpetuum usum non admittenda et rejicienda sunt.

In chlorosi erethistica primum erethismum nervorum sedari necesse est. Quaequė cura nimis fortis atque accelerata semper nocet, prae ceteris autem omnibus gummi-resinosa, emmenagoga et nervina, quae specificam exercent vim in uterum. Majoris utilitatis sunt medicamina nervina, dosi refracta data, praesertim si auxilium subito afferendum est, cum saepe systema nervorum nonnullis guttis Trae Castorei mitigetur, magnae autem Asae

foetidae doses idem magis excitent. Illa medicamina gummi-resinosa, emmenagoga tum obtinent locum suum in ipso curando morbo. Nervorum irritationem optime tollimus acidis mineralibus, imprimis acido phosphorico et acido sulphurico diluto, praeterea Mixtura sulphurico-acida et Tra aromatico-acida. Magnum etiam commodum balnea tepida, usus seri lactis puri, aut mixti cum aquis medicatis natronatis, uti sunt Ems, Halocrene, Reinerz, Toeplitz, Landeck, afferunt; casus, in quibus scrophulosis est basis morbi, postulant usum fontis Heilbronnensis Adelhaidae. Curam praeterea adjuvant derivantia ut sinapismi, cucurbitulae siccae et frictiones.

Organismo ita bene praeparato ad bene ferenda medicamenta fortiora: tertia nobis restat indicatio, quae ad meliorem sanguificationem atque restitutionem omnium functionum in integrum spectat. Hic habemus tria medicamina: chinam, carbonem vegetabilem et ferrum. Hocce semper est specificum, quare Neumann in chlorosi proverbii illius jure mentionem facit: »Qui nescit martem, nescit artem.« Non omnibus in casibus haec tertia indicatio explenda est, et quidem rarissime in reconvalescentibus a chlorosi erethistica; fere semper autem in individuis, quae chlorosi torpida affecta erant, china et ferrum in usum vocanda sunt, ubi etiam laetissimi sunt eventus.

Initio leviora ferri praeparata praescribimus, quae sunt: Tra ferri pomata, cydoniata, salita, Liquor aether. martiatus, ferrum carb., ferrum muriat., aquae ferratae naturales et artificiales, imprimis acidum carbonicum continentes, ut Pyrmont, Driburg, Brueckenau, Bocklet, Schwalbach, Cudowa, Flinsberg, Altwasser, Langenau, Franzensbrunn, Spaa, Steben, Imnau, Meltsch, Carls-

brunn etc. Deinde sensim sensimque ad graviora, sed etiam validiora ferri praeparata transeamus, ad limaturam ferri. Stoll ceterum contendit Tram ferri pomatam et limaturam ferri in quovis casu sufficere, quod mihi quidem non videtur. Ante nos ferrum multo majoribus dosibus praescribebatur, ut apud Stoll legere possumus, qui ait: »In leviori morbo sufficit usus limaturae martis, quae chalybi est praeferenda, dosis junioribus et minori mali gradu per diem diversa assumenda est gr. XV. XX. XXX. In morbo vero graviori, aetateque majori ad drachmas duas quotidie porrigi limatura potest.«

Quae ferri praeparata aut sola aut conjuncta cum jam supra commemoratis amaris porriguntur. In chlorosi erethistica jungenda sunt ferri praeparata cum nervinis. Formulae simplicissimae ad exhibendum ferrum sunt vina cum chalybe parata et Autenriethii vinum cum clavis caligariis paratum. Quando efficit ferrum obstipationem alvi, tum conjungimus idem cum Rheo; ubi nimia acidorum copia in ventriculo, componimus idem cum absorbentibus, vulgoque praeceptum Naumann in usum vocamus: R. Conchar. praepar. gr. XV ferri pulv. gr. III—VI Elaeosacch. cinnam. Jβ M. f. pulv. Individuis constitutionis lymphaticae, atque scrophulosi cum morbo conjuncta, porrigimus ferrum cum Jodo conjunctum, quam compositionem Pierquin, Thomson, Maclure Geddings proposuerunt. Ad majorem incitationem uteri efficiendam ferrum cum emmenagogis, restituta valetudine, conjungimus.

Praeter haec medicamina jamjam commemorata, quae in omnibus sanabilibus chloroseos casibus sufficiunt, etiam alia faustum praebuerunt eventum, quae sequuntur. Cullen et Bergius laudant Cochleariam armo-

raciam, quae in Russia remedium domesticum est, Koellreuter extract. Artemis. spirituosum; Coindet, Brera, Formey, Ficinus, Hoffmann, Seiler et Trousseau suadent Jodum. Trousseau praemittit ferrum; Pezzoni acidum tannicum in usum vocat; Destinon et Lobstein phosphorum.

Omnia hae medicamina dentur usque ad perfecte restitutam valetudinem, quod saepius recidivae intrant. Si sanguificatio eo modo melior est facta, atque molimina menstruationis exstant, omnia, quae fluxum mensium impedire possint, vitanda sunt. Revalescentes cogimus per hoc tempus lectum quaerere, utque menstruorum excretionem, si parca respectu habito individui est, frictionibus, cucurbitulis siccis in parte femoris interna, etiam hirudinibus ad labia majora applicatis, fomentationibus ex herbis aromaticis paratis et in abdomine appositis augemus. Menses regulares fluant necesse est, sine omni difficultate, non nimii, non parci, eorum color et consistentia sit characteristica, et tum demum de cura feliciter finita loqui possumus.

VITA.

Natus sum Carolus Felix Adam Kriger, fidei catholicae addictus, die XI. m. Januarii anno h. s. decimo nono Ratiboriae, Silesiae superioris oppido, patre optimo dilectissimo Philippo, quem ut deus optimus et maximus perdiu mihi conservet, ex intimo animo quotidie precor, et matre Joanna e gente Mueller, quam ex viginti annis morte mihi ereptam lugeo. Primis literarum elementis domi et in scholis publicis imbutus, gymnasium puer undecim annorum adii Ratiboriense, quod sub spectatiss. Haenisch adhuc directore floret, ibique per novem annos mihi Dr. Mueller, Kelch, Heide et Poppe praeceptores fuerunt benignissimi. Anno MDCCCXXXIX adii Gymnasium Glivicieuse, eodemque anno testimonio maturitatis instructus, almam literarum sedem Leopoldinam petii, ubi ab Ill. Hahn, tum fasces academicos tenente, in civium academicorum numerum receptus, et sub auspiciis Ill. Henschel, t. t. Decani gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilis, nomen rite professus, per septem semestria hisce interfui scholis:

Ill. Barkow de osteologia et syndesmologia, et de anatome comparata; Ill. Benedict de veterum chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis et instrumentis chirurgicis rite applicandis disserentem audivi, nec non eodem duce operationes chirurgicas in cadaveribus exercui. Idem in clinico chirurgico praeceptor mihi erat. Ill. Betschler gynaecologiam universalem mihi doctissime exposuit et in policlinico gynaecologico mihi erat dux et praeceptor benevolentissimus. Exp. Burchard de operationibus obstetriciis in phantomate instituendis; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice generali; Ill. Fischer de chemia generali et pharmaceutica; Ill. de Glocker de mineralogia exponentem auscultavi; Ill. Gravenhorst zoologiam me docuit; Ill. Henschel de encyclopaedia et hodegetice medica ingeniosissime disserentem audivi; Ill. Klose de pathologia generali et politia medica; Cel. Kuh in clinico chirurgico suo aere instituto erat mihi praeceptor benignissimus; Exp. Neumann de Schoenleinii systemate; Ill. Otto de anatome corporis humani universa, pathologica, de historia foetus et de arte cadavera in foro rite secandi egregie disserentem auscultavi; idem vir Ill. in theatro anatomico moderator et dux mihi exstitit gravissimus; Ill. Pohl universam physicen me docuit; Ill. Purkinje physiologiam universam ingenii acumine maximo mihi explicuit; Ill. Remer sen. de therapia speciali et de methodo formulas medicas con-

scribendi exponentem audivi, et in exercitationibus medico-clinicis nec non policlinicis fuit mihi moderator; Cel. Remer jun. de syphilide ingenue disserentem auscultavi.; Ill. Thilo psychologiam et logicen me docuit; Ill. Wendt materiam medicam et morbos e laesa nutritione oriundos, sicut morbos psychicos summo disserendi vigore tractantem audivi.

Praeterea Exp. Dr. Koehler, Dr. Menschig, Dr. Nega, Dr. Reymann adjutores mihi fuerunt benignissimi in exercitationibus clinico-practicis.

Aestate anni MCCCCXLIII Berolinum me contuli et ab Ill. de Raumer, nunc Rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, apud Ill. Mueller, t. t. decanum gratiosi medicorum ordinis spectatissimum, nomen dedi. Per hoc semestre interfui scholis Ill. Wagner de medicina forensi; praeterea in nosocomio caritatis scholas clinicas Cel. Wolff frequentavi.

Quibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis maximas ago gratias, eorumque discipulum me fuisse semper gloriabor.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, at e examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, psero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES.

1. Labor et paupertas optimum podagrae medicamentum.
2. Impotentia superveniens post initum matrimonium causa dissolutionis matrimonii esse potest.
3. Graviditas emeticorum usum minime vetat.
4. Si conjugata pelvis brevior quam duos digitos, sectio caesarea, absolute indicata, instituenda est.